



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ethices Christianae, Libri Tres

Daneau, Lambert

Genevæ, 1579

Cap. X. De causa efficiente humanarum actionum, quæ bonæ: vel malæ
dicuntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41242

quia Deus non tantum voluntate, sed & intellectu, & reliquis animi nostri viribus & facultatibus à nobis est & colendus & diligendus Matth. 22. v. 37. Omnia enim membra nostra, atque etiã animæ nostræ potentiæ omnes sunt Deo conferuandæ, vt Rom. 12. docet Paulus. Nam diuina lex non tantum nostræ voluntatis, sed etiam intelligentiæ occupationes atque actiones regit & dirigit: à qua regula si illæ discesserint, proculdubio & mala & peccata sunt dicendæ.



CAP. X.

De causa efficiente humanarum actionum,
quæ bonæ: vel malæ
dicuntur.

BE NE verò vel malè agendi principium & causa efficiens duplex quidẽ in vniuersum à nobis cõstitui potest, vna in nobis, altera extra nos. Nam quod bonarum vel malarum actionum à *ex* & principium hominẽ ipsum esse scribit Aristot. verè quidem dixit, sed non satis. Ac verè, quòd, quemadmodum præclare sentit Augustinus, neque saluos nos facit Deus sine nobis: neque debet bona actio vlla humana esse censeri, in qua nulla ipsius hominis operatio interuenire spectariue potest. Non satis dixit tamen Arist. propterea quòd homo nõ est sola bonarũ actionum, quas agit, causa & principium, verumetiã Deus: imò verò si fiat vtriusque inter se com-

paratio, Deus ipse & solus quidem earum est & author & causa verissima & ipsissimum principium potius, quàm homo ipse. Nam quatenus per peccatum voluntatem non amisimus, tamē eam quæ bona est, perdidimus, & quidem omnino, adeo ut iam nihil boni ipsi vel per nos, vel ex nobis, vel à nobis velle possimus, ac ne cogitare quidem. 2. Corin. 3. v. 5. Est enim Deus ille qui efficit in nobis, ut id quod rectum est velimus, & ut efficiamus; pro gratuita sua benevolentia, quemadmodum Paulus scribit Philipen. secundo vers. 13. Quamobrem consentienter Dei verbo, Augustinus in Enchirid. (ut infinitos prope illius eiusdē scriptoris locos omittam) cap. 32. *Totum Deo datur, ait, qui hominis voluntatem bonam & preparat adiuuandam & adiuuat preparatam. Nolentem praeuenit, ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit.* Ergo bonam voluntatem; id est, eam per quam honesta desideramus atque agimus, dat nobis Deus. Sic autem Dominus bonam voluntatem efficit in nobis, ut & ipsi, postquam nostram voluntatem in eam partem inflexit, velimus quoque. Nam per peccatum (quod iam dictum sæpius tamen dicendum est) voluntate non sumus spoliati, ut iam stipites maneamus & trunci; & lapides; vel similes brutis animantibus, in quibus, etsi appetitus naturalis inest quo mouentur ad commoda vitæ persequenda, nulla tamen in illis voluntas nullusque consensus, qui propriè dicitur & honesta appetit, inest. Illa enim solis hominibus sub cælo à Deo concessa est, qui vtuntur animi ratione; conclusione & syllogismo. Itaque
quum

quum per illos Deus bonum aliquid fieri vult, & cum in illis idem bonam voluntatem creat, facit quoque vt & ipsi velint & faciant, vt est Ezech. 63. v. 27. Heb. 13. v. 12. August. *Certū est nos velle, cum volumus: sed ille facit, vt velimus bonum, vt est Psal. 37. v. 23. A Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet.* Non autem homines tanquam instrumenta quædam merè passiva, & quæ vocant *παθητικά*, in huiusmodi actionibus adhibet Deus, quemadmodum nos homines ad ligna findenda tuditem & cuneos: ad secanda ferram assumere solemus: vel ad percutiendum hominem, gladium stringere, aut ad onera vehenda veterinis & iumentis vti, quæ nullum in sua opera præbenda consensum præbere possunt. Vtitur enim Deus suis creaturis, tanquam instrumentis quidem: sed pro eius naturæ, quæ ipse indidit illis, ratione: Ergo vtitur equo vt bruto animali, at vtitur homine, vt creatura *λογική* & rationali. Accedit igitur in ijs operibus bonis, quæ per homines fiunt, hominum ipsorum voluntas, sed à Deo & data & in eam partem inflexa & præparata & adiuta, sed quæ tamen est voluntas; & homo *ἐνεργητικόν* principiū est suarum actionum, ne tanquā stipites quidam, aut muta & *ἀβέλγητα* instrumenta interuenire in istis actionibus homines cēseantur. Vnde præclarè Tullius. *Nam hoc ipsum ita iustum est, quod rectè sit, si est voluntarium.* Ansel. etiam in Dialogo de veritate cap. 13. *Non est iustus, ait, qui facit, quod debet, si non vult quod facit.* Quæ nunc eò breuius persequor, quòd hæc sit alterius loci propria disputatio, nimirum

Theologorum peculiaris. Cùm igitur hæc verã sint, iã ea actionũ nostrarum tum bonarũ, tum etiam malarum principia sunt explicanda, quæ vel in nobis vel extra nos esse & cõsiderari possunt. Ac in nobis quidem illa sunt duo generalissima, prima & remotiora actionũ nostrarũ principia, Velle & posse, quæ siue in honestis, siue in turpibus actionibus generaliter concurrant necesse est. Nam neque velle satis est, si facultate agendi & exequendi destituamur: neque potestas quæ in nobis est, satis ipsa per se nos impellit, si agendi animus ac voluntas vel desit vel impediatur. *Neque enim consequens est, ut ait Augusti. lib. 1. contra Pelagia. cap. 14. ut qui potest venire etiam veniat, nisi id voluerit, neque etiam ut veniat, quanquam vult, nisi venire potuerit.* Quamobrem vtrunque hoc coniungit Philip. 2. v. 13. Paulus, ne sit mihi necesse Aristotelem libro 6. ἰδιῶν toties laudare. Hæc igitur duo sunt generalia & prima omnium actionum nostrarum interna, id est, quæ in nobis spectari debent, principia, quæ in nobis insint necesse est, ut aliquid præstemus. Quamquam in bonis operibus, quemadmodum postea dicetur, illa non sunt à nobis, sed à Deo. Sed hæc ipsa, quanquam sunt in nobis consideranda, sunt tamen actionum nostrarum causæ remotiores. Propiores autem & viciniore quæ in nobis quoque spectari oportet, sunt aliæ, & eæ duæ, nempe

Intellectus siue ratio,
Voluntas nostra.

Oportet enim rationem in nobis, quasi ducem quendam, præire atque prælucere voluntati nostræ il-

stræ illique præscribere quid opus sit facio, quidque sequatur, quid non. Quæ nostra ratio si rectè doceat moneátque quid factò sit opus, atque illud postea lubenter voluntas amplectatur & exequatur, sanè tota actio erit honesta: sin autem mens ratioque nostra vel suopte vitio & libidine victa, vel malis aliorum consilijs impulsa cæca fuerit, vel illud, quod non decet, facere præscripserit, quod appetat & sequatur postea nostra voluntas, turpis certè & inhonesta erit tunc quoque actio nostra. Ergo vt bonum sit opus quod instituimus, & rationem nostram, quæ illud agendum præscribit, rectam esse, & à vero scopo nullo modo aberrantem oportet: item appetitionem voluntatèque nostram illi rectè monenti omnino quoque obsequentem. Mala autem est actio nostra, cum vel ratio ipsa id quod omnino turpe est (quæ est naturæ nostræ cæcitas) honestum ducit: vel mali cõsuetudine illecta & deprauata blandisve corporis voluptatibus, tanquã venenis, corrupta quod apparenter tantùm & falso bonum est, vt verè bonum atque persequendum existimat statuitque. Cuius postea tam pernicioso decreto assentitur nostra voluntas. Dictamen igitur rationis & intelligentiæ præscriptum, siue illius quidem cæcæ & obreuebrata (qualis in nobis naturâ inest) vel perspicacis, sanæ & rectè iudicantis (qualis à solo Deo nobis datur) quasi lux quædam præcedit in nostris actionibus: tum velut pedisequa vel potius comes sequitur lubens & spontanea appetitio nostra & voluntas. Alij verò omnino breuius quæ bona, quæ ve

mala sit actio, definiūt, sic nempe, Mala est actio
 quæ reuelatam voluntatem Dei non habet pro
 scopo: bona contrā, quæ illam respicit. Sed iam
 grauis nobis de hac tota re cum varijs hominū
 agminibus incidere controuersia solet, Vnde
 illa sit in nobis recta tum ratio: tum etiam vo-
 luntas, si quando euenit, vt agamus rectè: quo-
 rum omnium sentētijs hoc loco potius animus
 est indicare, quàm refutare, quòd & hæc dispu-
 tatio longior videatur quàm ferat propositum
 nostrum, & sit alterius artificis, nimirū Theo-
 logi Christiani, ppria, à quo ista, quæ de veris bo-
 narū & malarū actionū causis tractatur, tanquā
 iam probata accipi atque disci volumus. Phi-
 losophi igitur, qui veritatis cælestis luce desti-
 tuti, qualis, quāmq; miser esset vniuersi gene-
 ris humani post Adami lapsum status ignora-
 runt, tātum in hoc argumēto viderunt quātum
 quibusdam humani iudicij & luminis obscuris
 illis quidē, sed tamen reliquis scintillis adiuti &
 illustrati potuerunt. Neque tamen eam ipsam
 naturæ suæ lucem secuti omnes id senserunt, de
 quo ab ea satis admonebantur: sed vel sectæ suæ
 defendendę ambitiosa cupiditate transfuersi: vel
 malis iam opinionibus & receptis imbuti, aliud
 omnino, quàm quod à natura ipsa didicisse po-
 tuerant, sæpe docuerunt. Ergo eorum alij virtu-
 tem eāmq; perfectè à natura nobis insitā esse &
 infeminatam contenderunt, quòd naturā boni
 omnes nasceremur: nemo autem prauus esset,
 nisi à natiua illa bonitate & integritate prius
 deprauatus Inde illud vulgò iactatum est, *ἡ καὶ πονηρὸς ἔστι ἀπὸ φύσεως*. Itaque virtutem ne-
 que

que doceri posse neque disci dixerunt: sed esse, nasci & manere quenque nostrum natiuo quodam virtutis habitu præditum atque ornatum, & quidem tali, qualis primum esset à natura ipsa efformatus. Neque enim omnes æquè virtutes in nobis æqualiter inesse, etsi magnum omnium semen haberemus, sed esse perfectius quemq; hac potius, quàm illa virtute peculiari-ter à natura donatum. Hi sanè & potestatem & voluntatem benè agendi non modò nobis tribuunt: sed vtramque faciunt in nobis immutabilem, quia naturalis, ex ipsorum sententia, nobis est, adeò vt ex bono prauus nemo iam euadere possit, quia virtus ipsa iam habitu in nobis formata est à natura. Denique omne virtutis studium extinguunt, dum non agendo comparari virtutis habitum: sed nascendo nobis dari & inferi docent. Hi igitur meritò sunt explorati, quia honesti studij omnes aculeos retulerunt, atque hebetarunt. Atque horum sententiam, quia certè quidem absurdissima est, cum alij & ipsi Philosophi æquiores meliùsque sentientes non probarent, Virtutem doceri posse, atque longa meditatione & exercitatione acquiri & comparari posse verissimè disputarunt: qua de re elegantissimus extat Plutarchi Chæronensis libellus. Hi igitur nos à natura habitu ipso & plena virtutis informatione bonos fortesque creati & nasci negarunt, sed cum omniù virtutù semina nobis insint, vt illi quidè cèsent, à natura iniecta, nos demum bonos, fortes, & probos studio quodam nostro & exercitatione effici volunt: qui tamen iidem neminem volen-

f.ij.

tem scientemque malum vel iniustum esse possentium. Omnes enim, qui mali sunt, tales esse & ignorantes & inuitos. Hoc ipsum disertè in Dialogo de Iusto scripsit Plato. Ex horum secundorum igitur sententia fiet, ut quicumque scelerati, mali, improbi fiunt vel malè agunt, illi ignorantibus & inuiti tales esse atque id facere dicantur & credantur. Improbam sanè hominum vocem & sententiam quæ scelus omne excusat & reddit impunitum, ipsumque conscientiam nostram verissimum sensum & testimonium aliud obestans tollit & oppugnat. Atque contra hos Lact. lib. 6. cap. 5. & 13 luculenter disputauit. Ergo cum tanta esset iudiciorum de re hac una varietas, visa tandem est tolerabilior eorum Philosophorum sententia, qui nos, quales quidem nascimur, abrafæ puræque omnino tabulæ similes fingunt, in qua nihil vel prauum, vel honestum ab ipsa natura esset inscriptum, & adhuc impressum: aptos tamen ad vtrumque suscipiendum. Est enim in nobis, ut isti volunt, aptitudo quædam ad vtrumque suscipiendum & induendum concessa naturaliter, ut si postea honesta educatio, mores, consuetudo, magistrorumque sana doctrina accesserit, boni & egregij viri facile euadamus: sin autem his contraria omnia nobis obtigerint, mali & improbi proculdubio efficiamur. Hæc fuit Aristotelis hominis acutissimi, quemadmodum ex ipsius libris de Ethicis siue Moribus colligitur, sententia. Quam postea ex Scholasticis plerique sunt mordicus ut viam tutiorè amplexi. Quæ certè si vera est sententia, quod de natua vitiositate, & peccato originali

originali in nobis Scriptura tradit omnino falsū esse necesse est. Facit enim hominem purum & ἀμεμπτον naturā, & omnia consuetudini tribuentem. Hippodamus igitur Pythagoricus, vt in collectaneis legimus, longē sanctius longēq; melius, quā superiores isti omnes ex suā, id est, Ethnicæ scholæ præceptis scripsit. *Homini natura partim sui est consilij particeps, ait, partim diuinum requirit auxilium.* Atque hæc Hippodami sententia longē Aristotelicæ est præferēda. Nam neque conciliari illa Aristotelis sententia cum eo potest, quod est Genes. 8. v. 21. scriptū, Cor hominis per se atq; naturā ipsa prauū esse, etsi nulla adhuc vel praua consuetudine vel doctrina fuerit aliunde deprauatū. Distorta enim & aberrās est à recto & honesto hominis cogitatio ipsa per se, nec eam ab alio, quā à seipsa sollicitari oportet, vt turpia & cogitet, & expetat. Itaque verissima est illa Spiritus sancti vox *φρόνημα τὸ σπουδὸς ἐχθρὰ ἐστὶν θεῶν.* Carnis autem intelligenā totum hominem complectitur, qui cū Deo spontanea voluntate aduersetur & repugnet, sanè vitiatus iam sit necesse est: non autem tabulæ cuidam abrasæ, & nulla adhuc corruptionis labe maculatæ & conspurcatæ similis fingendus est. Quin etiam eò blasphemix quidā ex ijs qui superiorē illam sententiā secuti sunt, tandem deuenerunt, vt dicerent deorum quidem esse munus, quòd viuimus: nostrum verò, quòd benè viuimus. Id quod apud Senecam extat. Item, sibi virtutem acquirere vnum quemque, nec de ea gratias Deo vnquam agere. Cicero libro tertio de Natura deorum. Item

Fabrum esse quemque suæ fortunæ, Sallust. Quo quid magis blasphemum & horrendum dici vel cogitari potest? Quid igitur? Reperta est quarta quædam sententia, quæ ad Christianum dogma & ipsam ad eò rerum veritatem propius iam quodammodo accedit. Statuit enim omnes homines post Adami peccatū corruptos quidem, & aliquo pacto labefactatos esse, sed meliori tamen sui parte sanos & integros remansisse. Nam volunt solas eas facultates quas in nobis illi Sensuales appellant (sunt autem eæ quibus & cibos appetimus, & voluptates corporis percipimus, & quæ in sensibus nostris quæque in ventriculo inferiori insident) eas inquam facultates solas in nobis esse vitiosas, corruptas, & furiosè atque inordinatè sese efferentes. Rationem autem nobis & sanam & integram etiam post Adami lapsum relictam esse, quæ omnia quæ sunt honesta, satis ipsa per se tanquam lucidissimus quidam oculus videat & intelligat. Voluntatem autem nostram esse aliquo quidem per Adami casum, sed leui tantum vulnere oblæsam, ut quanquam ad ea, quæ sunt præclara & bona, ipsa per se pronasit, id est, impetu quodam suo & naturæ suæ inclinatione adhuc bona appetat, & ad ea feratur: tamen neque satis ardentem ea expetat, neque etiam quæ primo illo impetu tentat & desiderat, sola satis ipsa per se assequi possit, nisi divino quodam auxilio fuerit postea suffulta, adiuta, & robustior effecta. Esse enim iam nimium imbecillos illos naturæ nostræ per peccatum labefactatæ conatus, ut ad ipsam vsque
virtutem

virtutem se sine diuina accedēte gratia possint
attollere: conati tamen per nos ipsos posse &
potenter eniti, sed non satis. Veluti cum æger
aliquis è lectulo se conatur erigere, qui prorsus
non potest: sic nisi diuina quoque manus nos
apprehēdat & iuuet, subsidimus & deficimus,
neque quod conamur, efficere & præstare pos-
sumus. Sic Lombardus libro. 2. distinct. 25. cap.
ultimo, *efficaciter*, ait, *se erigere sine Dei gratia non
potest liberum hominis arbitrium.* Idem Durand.
Idem Thomas, idem ex recentioribus Viguie-
rius. Ergo per peccatum originis læsam tātū
& aliquo modo vulneratam esse voluntatem
nostram, aiunt, ne benè agere iam sola possit:
non tamen impetum & propensionem ipsam
ad honesta expetēda & aggredienda illi adem-
ptam, & prorsus nobis ereptam, cum ad ea e-
tiam, quales natura sumus & nondum Dei spi-
ritu renati, sponte tamen feramur, & nos ipsos
concitemus. Sed ad ea opera bona, quæ ipsi per
nos cupimus, præstanda non esse nos sine Dei
gratia satis validos & robustos. Hanc verò sen-
tētiā secuti sunt penè scholastici omnes: per
quam tamen Pelagianorum errori se obuiam
ire facillimè posse crediderunt, interim ipsi in
Semipelagianismum delapsi. Itaque inciderunt
in Scyllam dum Charybdim euitare student.
Atque hanc homines temerarij etiam ex patrū
scriptis tueri se posse credunt: & hac præsertim
ratione, tanquam armis Achilleis, defendunt,
Quòd nunquam Deus & natura in necessarijs
deficiunt, id est, nunquam nos Deus & natura

rebus necessarijs, & quibus carere non possumus, destituunt: ne nouerca potius, quam mater natura nobis esse censeatur. Itaque cum nihil sit vita æterna magis necessarium nobis, cumque ad eam honestis actionibus perueniatur, quæ, siue sana animi intelligentia, & propensa ad honestatem voluntate esse in nobis & fieri non possunt: concludunt, & sanam intelligentiam, & illam procliuem ad bona opera voluntatem nobis à Deo relictam esse, etsi quædamtenus iam per peccatum viribus infirmam: per illa enim duo ad vitam æternam peruenimus. Præterea nobis obiiciunt profanos homines, & Dei cognitione spiritusque regeneratione prorsus carentes, quos, natura ipsa ducere, optima quæque & voluisse per se & conatos esse demonstrant, qualis fuit Aristides, Socrates, Themistocles, Traianus & reliqui his similes, quorum vita sæpe multorum Christianorum moribus sanctior, atque ut illi loquuntur honestior censeari possit. Sed & illud etiam adducunt, quod est à M. Tullio sæpe (uti lib. 1. de legib. & lib. 3. Tuscul. quanquam ex Stoicorum dogmate, uti docet Laertius lib. 7.) repetitum, si naturam, qualem iam habemus, sequeremur ducem, nunquam nos aberraturos, & turpiter esse victuros. Eos enim igniculos nobis esse à natura insitos, ut si praua consuetudine, ij non extinguerentur, sed ijs obediremus & obsequeremur, nunquam peccaremus, neque mali, neque scelerati vnquam euaderemus. Accesserunt quoque scriptorum, qui dicuntur Ecclesiastici & Theologi, sententiæ quædam. Nam dum illi
Chri-

Christianum dogma, per quod Dei spiritus omnis bonæ & honestæ actionis nostræ fons & author esse dicitur, aduersus profanorum Philosophorū gryphos & sophismata tueri vel potius explicare vberius conantur, & non tantum spontaneam & assentientem in bonis operibus nobis voluntatem (quam *αὐτηθέσιον* appellarunt) reliquerunt: sed etiā censent naturalem quandā inesse in omnibus hominibus propensionem ad ea, quæ sunt honesta. Urgebantur verò etiam à Pelagianis patres, qui, vt docet August. li. 4. cōtra Iulianū cap. 3. nullum gratiæ Dei locū in bonis operibus reliquū faciebant: omnē autē istius rei laudē solius humanæ naturæ viribus asserebāt. Quos pessimè sentiētes cum placare potius, quàm refutare cuperēt ex patrib. quidā, & Philosophorū dogmata cum Christiana doctrina, id est, aquā igni cōciliare & permiscere conantur, illā doctrinam de naturæ nostræ per se infirmis tantum, non autē prorsus extinctis & abolitīs ad bene agendum viribus excuderunt, & inuexerunt, quam tamen ex hominum animis, in quibus cum magna Dei blasphemia tandiu hæsit, iam euellere, Deo ipso duce, tentabimus.



CAP. XI.

Proximæ superioris sententiæ
refutatio.

RIMVM igitur nobis obiiciunt, fore Deum ipsum tyrannū & inhumanum patrem: fore naturam non matrem, sed nouercā, si ab vtroque de-